



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

V. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

pa. In margine pro voce *dominationem* est, *al. donationem*. Et in Notis: *Inter decreta Calixti, ex quo citatur, non est inventum. Habetur in decretis Paschalis II, manuscriptis c. 5. Sed non est mutatum nomen Calixti, quia Pontifices isti, qui iisdem ferè temporibus fuerunt (De Callisto secundo & Paschali intellige) frequenter eadem decreta suorum antecessorum repetebant.*

(5) Quod ad caput secundum attinet 35. q. 2. & 3. eius inscriptio in eodem libro est: *Item Calixtus Papa epistola secunda ad Episcopos Gallia. Conjunctiones consanguineorum fieri prohibete, quando has &c. Leges ergo divina &c. Leges verò saculi &c.* In margine hæc sunt: *Poly. ibid. (hoc est. Poly. l. 6. tit. 4.) Bore. l. 7. c. 1. Ivo p. 9. c. 22. Et vers. Nos verò. Simile in Concilio Innocentij II. Et ad vocem Imperatorum, al. Imperator Romanorum.*

(6) Ante caput II. *Nullus omnino.* 16. q. 7. hæc in eodem libro verba sunt: *Item Callixtus Papa.* In margine est: *al. Ex Concilio Rothomagensi.* In verbis nulla varietas. *Sicut sanctis canonibus editum est, & contra hoc facere.*

(7) Inscriptio capitis ultimi dist. 62. in eodem libro est: *Vnde Calixtus PP. II. Nullus in Episcopum &c.* In margine est: *In Pontificali est mentio huius decreti.*

DE EADEM RE.

Dialogus quintus.

C. LI C E T ne paucis antequam alia Calixti capita percurras? **A.** Et paucis & multis licet. **C.** Cur hæc Callixti capita, ut Gratiani verbis confirmasti, non sic etiam Burchardi & Ivonis & alior. collectorum locis confirmas? **A.** Si Burchardus & Ivo &

ceteri antiquiores sunt, quî possunt Callisti verba referre? C. Apud Ivonem in extrema Panormia Innocentij minoris verba referuntur, qui Callisto posterior fuit. A. Negare possum Ivonis eum librum esse. Sed malo hoc affirmare, additum esse Concilium Innocentij Panormiæ, non esse partem ejus collectionis. Ostendere possum veterem librum in quo neque id Concilium neque nomen Ivonis neque excerptionum præfatio continetur. Et in epistulis Ivonis ea præfatio temporibus Paschalis minoris scripta est. Deus dedit Urbani secundi tempore scripsit, item Anselmus Lucensis, sive is cujus collectionem habemus. In libris Cæsaraugustano & Tarraconensi nihil scimus ex Callisto & Innocentio sumptum esse. Itaque solus Gratianus utriusque Pontificis verba refert. C. His contentus sum. Redde cetera. A. Initium undecimi capituli ad bellum sacrum pertinet, quod tempore Urbani minoris inchoatum est. *Eis, inquit, qui ad Hierosolymam proficiscuntur &c. suorum peccatorum remissionem concedimus &c. sicut à Domino nostro Papa Urbano statutum fuit.* Et postea non solum Hierosolymitani belli, sed etiam Hispanici, facit mentionem. Habuit autem in Hispania Callistus fratrem Raimundum Comitem Alfonsi Regis generum & alterius Alfonsi patrem qui Imperator Hispaniæ appellatus est, à quo Reges omnes originem ducunt. B. Existare librum audio Callisti de miraculis beati Jacobi Apostoli, cujus sepulchrum is quæ-

scum in Hispaniam venit. C. Verba mihi recitare libet, si pateris, de Hispanico bello. A. Recita. C. *Eos autem qui vel pro Hierosolymitano vel pro Hispanico itinere cruces sibi in vestibis posuisse noscuntur &c.* A. Capitis duodecimi sententiam non potero vobis explicare. Verba sunt hæc: *Illam verò pravam defunctorum porticanorum consuetudinem, quæ hætenus ibi fuit, ex fratrum nostrorum & totius curiæ consilio, necnon & voluntate atque consensu Præfecti, removendam censemus &c.* Fratres interpretor Cardinales & Episcopos, curiam verò, curiam Romanam, non Clericorum, sed civium Romanorum, Præfectum autem, urbis Romæ Præfectum. Sic hoc fuisse Concilium Romæ habitum comprobatur. Porticanos suspicor fuisse ineptè dictos, non à porticibus, sed à portu Ostiensi & aliis, qui portoria exigent. Consuetudo prava fuisse videtur ut eis morientibus sine heredibus, eorum bona diriperentur. Caput decimumtertium de induciis scriptum est, quas treugas appellabant: *Si quis treugam diffregerit &c.* Eadem ferè verba ab Innocentio secundo & Alexandro tertio repetita sunt. Caput xiv. Gratianus Callisto Papæ adscribit. Ejus initium est: *Sanctorum patrum canonibus consona sentientes, oblationes &c.* Agitur autem de Ecclesiis urbis Romæ. *sentientes* meliùs est quàm *sancientes*, ut apud Gratianum. Pro *aut aliis* apud Anselmum est *aut de aliis.* (1) Capite xv. agitur de falsa moneta: *Quicumque monetam falsam se scien-*

10. q. 1. c. 14.
Sanctorum.

te fecerit &c. Hoc apud Gratianum non inveni. Caput XVI. inuenio Callisto Papæ ab eodem adscribi: *Si quis Romipetas & peregrinos & Apostolorum limina &c.* Hac de re quotannis interdicitur. Pro *teloneorum & pedagiorum* est apud Anselmum *teloneorum & pedaticorum.* (2) Sic etiam caput XVII. Gratianus Callisto Papæ adscripsit: *Interdicimus & Abbatibus & monachis publicas pœnitentias dare &c.*] etiam *Abbatibus* habet Gratianus, & *consecrationesque altarium.* Anselmus, *consecrationes altarium.* B. Hoc etiam Callisti minoris esse videri, adscriptum à selectis viris inveni. (3) A. Caput XVIII. non inveni; cujus initium est: *In parochialibus Ecclesiis Presbyteri per Episcopos constituantur &c.* Urbano tamen secundo adscribit Gratianus illa verba: *Decimas & Ecclesias à laicis &c.* qui addit vocem *monachi.* ea omiſſa, ad Presbyteros refertur. (4) Sic initium capituli XIX. non inveni: *Servitium quod monasteria aut eorum Ecclesia à tempore Gregorij Papæ septimi usque ad hoc tempus Episcopis facere & nos concedimus.* Quæ sequuntur, Urbano secundo Gratianus adscribit: *Possessiones Ecclesiarum & Episcoporum triennales &c.*] *tricennales* tamen scribit. (5) Sequitur caput XX. quod Urbano Papæ inscribitur apud Gratianum: *Paternarum traditionum exemplis commoniti &c.* B. Vidi in quibusdam schedis Urbano secundo adscribi, addito numero capituli primi. A. Fieri potest ut idem ambo decreverint, ut Eugenius & Leo,

24. q. 13. c.
23. Si quis.

16. q. 1. c. 10.
Interdicimus.

16. q. 7. c. 39.
Decimas.

16. q. 4. c. 1.

24. q. 3. c. 24.
Paternarum.

de quibus à te relatum est. Duæ illæ voces, *vel commissos*, neque in veteribus Gratiani libris neque apud Anselmum sunt. ex scholiis, ut fit, addita sunt. B. Idem selectis viris placuisse, ut reicerentur, inveni. (6) A. Capituli XXI. verba Callisto Papæ adscribit Pœnitentiale Romanum *a meum & Gratianus b: Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, & monachis concubinas habere penitus interdictum &c.* B. Urbano secundo capita duo adscripta sunt in Romanis schedis veteribus, quæ à Pariseto docto viro inventæ sunt. C. Antonius Contius Callisti secundi verba esse existimat. A. Illa verba Gratiani & Pœnitentialis sunt, *seu matrimonia contrahere.* apud Anselmum non inveni. Vox quoque *personas* ab eodem omittitur. (7) Initium extremi capituli, hoc est, *Alienationes quæ spiritualiter (specialiter malo) per Othonem, Guidonem, & Hieremiam, seu fortè Philippum ubi libet de possessionibus Ravennatis Exarchatus factæ sunt damnamus.* B. Sûntne hæc nomina Archiepiscoporum Ravennæ? A. Id mihi incertum est. Quæ sequuntur, inveni apud Gratianum Urbano Papæ adscripta: *Generaliter autem omnium per intrusionem &c.* B. Hoc etiam caput tertium in illis schedis Urbano minori adscribitur, & sine nomine est in extremo hoc Anselmo Romano; in quo pro Othone est Attone, & *specialiter pro spiritualiter.* A. Gratianus scribit: *Alienationes omnium per intrusionem &c.* & mox *alienationes dico.* Sed apud Anselmum non est vox *di-*

a Pœnit. Rom.
tit 8. c. 8.
b Dist. 27 c.
8. Presbyteris.

12. q. 2. c. 37.
Alienationes.

co utrubique. Ab illis verbis *Illud etiam per omnia &c.* initium capitis quarti est in Anselmo extremo. In verbis nulla varietas est. (8) Hæc de Callisti Concilio dicere habui. Fuisse autem frequens apparet ex verbis Pandulfi in Pontificali: *Illo anno DCCCCXCVII. Episcoporum sive Abbatum numero Laterani Concilium celebravit, in quo vir regali stirpe progenitus ferè jam deperditam mundo pacem restituit.* In chronicis additis Sigeberto id actum fuisse dicitur anno Christi MCXXIII. in quo pax inter regnum & sacerdotium reformatur, & jus investiturarum episcopaliū ab Imperatore exfestucatur. his enim verbis utitur. C. Festuca quid sit, scio: sed exfestucari, sputatilicum verbum videtur, ut illud apud Ciceronem. A. Finge festucam significare furcam vel furcillam, & exfestucari esse furcillis expelli. vel translatione sumpta à paleis vel festucis à tritico separatis, furcis adhibitis, exfestucari est festucas tolli. C. Nunc demum intellego. A. Velim scire B. de octava synodo quid attuleris. Habebam enim Romæ exemplum canonum sanè mendosum. Neque ei auxilio fuit epitome Conciliorum Toletani Archiepiscopi, quam secutus esse videtur Surius in editione Conciliorum. In indice librorum Michaëlis Thomasi erat octava synodus Hadriani tempore Constantinopoli habita interprete Anastasio Bibliothecario. Hanc suspicor te attulisse. B. Ita est ut dicis. Sed & Græcum librum audio in Hispania esse qui ad te deferat. C. Venisse accipi

Græcum scriptorem hodie cum libris. Is fortasse est. A. Omnes libros alio die adferamus, & Gratiani capita conferre poterimus. B. Ita fiet. Sed non solum de octava, sed etiam de nona synodo, quæ octava quoque dicitur, sub Joanne octavo, erit agendum. A. Rectè admones.

A D D I T I O N E S.

(1) CAPUT 14. *Sanctorum patrum.* 10. q. 1. in Romana editione ita inscribitur: *Item Calixtus Papa secundus.* In margine est: *Poly. l. 3 tit. 9.* Et in Notis: *Secundus*] *Additum hoc est ex plerisque vetustis. Neque verò primus esse potest, cujus tempore nondum Pantheon vocabatur templum sanctæ Mariæ rotunda. Bonifacius enim fuit, qui tempore Phoca Imperatoris illud beata Mariæ & omnibus sanctis dicavit. Est autem editum sancientes, & aut aliis, sine ulla varietate.*

(2) Hæc in eodem libro inscriptio est capitis 23. *Si quis Romipetas.* 24. q. 3. *Item Calixtus Papa.* Ad illa verba, *teloneorum & pedagiorum*, additum est in margine. *Al. pedaticorum.*

(3) Ante caput decimum *Interdicimus etiam.* 16. q. 1. hæc in eodem libro inscriptio est: *Item Calixtus Papa II.* Pro voce *ordinationes* est in margine: *Al. ordines.*

(4) In eodem libro inscriptio capitis 39. *Decimas.* 16. q. 7. hæc est: *Vnde Urbanus Papa II.* Vox *monachi* retinetur sine ulla varietate.

(5) Capitis primi 16. q. 4. inscriptio in eodem libro est: *Quod Urbanus Papa II. prohibuit dicens: Possessiones Ecclesiarum & Episcoporum tricennales &c.*

(6) Hæc etiam est in eodem libro inscriptio capitis 24. *Paternarum traditionum.* 24. q. 3. *Item Urbanus Papa.* In Notis: *Conversos*] *In codicibus impressis siquebatur, vel commissos, quæ sunt expuncta, quia absunt à plerisque manuscriptis Gratiani exem-*

plaribus & vetusto quodam codice. in quo quidem extremo & hic & alij tres canones descripti sunt tanquam fragmentum alicujus Concilij.

(7) Inscriptio capitis octavi Presbyteris. distinctio-
ne 27. in Romano libro hæc est : *Item Calixtus Papa II. In Notis additur : Hic canon inventus est in codice Vaticana Bibliotheca in fragmento cujusdam Concilij ab Urbano secundo habiti c. 2. Ex eodem vero Concilio sunt canones Alienationes. 12. q. 2. & Paternarum. 24. q. 3.] Illa verba sine varietate edita sunt, seu matrimonia contrahere. & personas &c.*

(8) Gratiani verba sunt in eodem libro ante caput 37. *Alienationes. 12. q. 2. Item Urbanus Papa. In Notis hæc sunt : Post collectionem Anselmi in codice perantiquo habetur fragmentum cujusdam Concilij Urbani secundi, in cujus initio hæc leguntur : Alienationes quæ specialiter per Ottonem, Guidonem, Hieremiam, seu fortè Philippum ubilibet de possessionibus Ravennatis exarchatus factæ sunt damnamus. Generaliter autem omnium per intrusionem seu canonicè electorum sub Episcopi nomine vel Abbatis... Ecclesiæ suæ consecrandus est, alienationes quocumque modo factas &c. usque ad finem hujus capituli sine ulla varietate.*

DE DUPLICI OCTAVA synodo.

Dialogus sextus.

C. ET Græcos libros duorum Concilio-
rum & Latinos attulimus. Sed prius
velim scire abs te cur utrumque octavum ap-
pelletur. Nonum enim qui dicunt quod pos-
terior est, ordinem temporum sequuntur. A.
Tertiam opinionem omittis. Sunt qui Flo-
rentinum Concilium octavum quoque gene-